Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1487
Quelle:
Copyright:

gatorio, Aqua luſtrali, Exorciſmis, et Imaginibus.

CCCXCIX.

918 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 188. 4. commode, non tamen ab una manu, perſcriptus continet: I. *Job. Wiclefi* Sermones in Evangelia de Tempore per circulum anni, ducto a *Dom. 1. Adventus* initio, praefixoque Monito, quod incipit: *Cum deus vndiquaque plenus abborret vacuum* &c. Dictionis primae in illud: *Cum appropinquaſſet Jeſus ieroſolimis* &c. *Matth.* 21. exordium eſt: *Conſtat ex ewangelio, quod chriſtus tribus vicibus aduenerit humanitus* &c. Dictio ultima de Templi Dedicatione finitur: *vt in febre ethica* (hectica) *eſt ſua inanitio inpercepta. Expliciunt ewangelia de tempore. Jo. Wy.* Vide *Cod.* anteced.

II. *fol.* 169. *Hic oſtenditur quo tempore dauid compoſuit quemlibet pſalmum in pſalterio et pro qua neceſſitate.* Tituli illi Pſalmorum, qui Bibliis ſub artis incunabula impreſſis additi reperiuntur. Ita: *Beatus vir qui non. Iſtum pſalmum fecit dauid quando conſtitutus fuit Rex in Bethleem* &c. Sub finem eadem docetur Lector de aliis Canticis biblicis.

III. *fol.* 171. *De vita et moribus phylozophorum veterum tractatus.* Poterat addi *et Poetarum.* Initium: *Multa que ab antiquis Auctoribus et diuerſis libris de ipſorum geſtis ſparſim reperi in vnum colligere laboraui* &c. Libellus jam Sec. XV. plus vice ſimplici impreſſus, et in *Italicam*, *Gallicam*que linguam immerito traductus paſſim *Gualt. Burlejo Anglo* tribuitur, cujus nomen Codici quondam *Gudiano* praefixum video apud *Fabric. Bibl. med. Lat.* L. II. p. 307. Confer etiam *Tanneri Bibl. Brit. Hib.* p. 141. Exemplum praeſens abrumpitur in *Seneca*, ceterumque editis jam prolixius, jam conciſius eſt. De editis dixi in *Memorab. Bibl. Garell.* P. I. p. 201.

CCCC.

Codex chartaceus lat. Sec. 879
XV. Folior. 253. f. per duas columnas in Bohemia, ut videtur, probe ſcriptus, et rubricis enotatus ſequentia *Job. Wiclefi* Opera continet: *Iſta pars vocatur pars ſecunda ſermonum*, ſeu, ut in membrana praevia: *Secunda pars wicleff ſuper ewangelia videlicet de ſanctis.* Sermo I. de Nativitate Chriſti in illud: *Exiit edictum a ceſare Auguſto* &c. *Luc.* 2. orditur: *Continuando ſermones ſanctorum cum ſermonibus dominicis incipiendum videtur a feſto ſancti ſanctorum* &c. Inde ordine anni proceditur per *Sermones* LXI. quorum tamen multi ſunt de Communi, ut vocant, Sanctorum, usque ad *Sermones* in Commemoratione Fidelium Defunctorum. Nulla facile praetermittitur occaſio ſugillandi Epiſcopos, Praelatos, Clerum beneficiarium,